



# Disputatio medica inauguralis de dysenteria

<https://hdl.handle.net/1874/343812>

34.

DISPUTATIO MEDICAN  
INAUGURALIS,

DE

# DYSENTERIA,

QUAM

AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D'Rectoris,

## M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaque

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS

Summiq[ue] in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè

& legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

JOANNES MELCHIOR GLUSING, Oldenburgen[s]is,

Ad diem 11. Novemb[ris], horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc xcii.

*VIRO Doctissimo, Experientissimo*

D. DANIELI  
STARIEL,

Med. Doctori, Chymico ex-  
pertissimo, Practico apud  
Lovanienenses Felicissimo, præ-  
ceptor semper venerando.

*Inauguralem hanc Disputationem*

D. D. D.

JOAN. MELCH. GLUSING.

*Auctor.*

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS.

D E

# DYSENTERIA.

### THEISIS I.

**D**YSENTERIA est avi fluxus cruentus, dolorificus, frequens, cum febre & exulceratione intestinorum conjunctus.

I I.

Differentias varias habet Dysenteria, pro ratione humorum profluentium, ipsius temporis, partis affectae, causarum, symptomatum, aliorumque modorum, pro quorum diversa ratione diversimodè affigit.

I I I.

Plerique autem Latini Dysenteriam per difficultatem intestinorum explicant: sed de nomine non disputabimus, de re magis solici. Interim notandum, me h̄ic intelligere dysenteriam strictissime sumptam: oritur ab humore sive congerie particularum acutarum, scindentium, corrosivarum, vel quæ corrodendo intestina exulcerant; vel ob spasnum; item ob acria medicamenta, quæ corrodunt intestina.

I V.

Est autem dysenteria symptoma in excretis, si su-

A 2 matur

#### 4 DISPUTATIO MEDICA

matur pro cruenta dejectione : interim est morbus, quatenus intestinorum producit solutionem continui, & morborum aliorum causa existit , dum ab hisce excrementis putridis, aliove modo corruptis, variis morbi, variaque symptomata producuntur.

#### V.

Et quidem ratione exrementorum , aut humorum profluentium , dividitur in biliosam , pituitosam , serosam , atrabilarem , purulentam , & ejusmodi aliam : per sientem autem Medici intelligunt alvi fluxum in quo mucus , aliaque recrementa simul cum sanguine secedunt. Facta vero dicitur , in qua non tantum sanguis , & simul aliquid de ipsa substantia intestinorum excernitur , ut sunt carunculae , ramenta , membranosae partes , & ejusmodi : alia est ex alimentis , alia ex medicamentis , alia ex venenis , pravis humoribus , & ejusmodi aliis ; Ratione Symptomatum alia est cum appetitu prostrato , virium lapsu , siti inextinguibili , majori vel minori dolore , aliquaque gravioribus , aut levioribus symptomatibus.

#### V I.

Ratione modi aut moris , quo affligit Dysenteria , alia est contagiosa , alia non ; alia est maligna , benigna , pestilens , &c.

#### V I I.

Omnem autem Dysenteriam esse contagiosam (uti vulgus sentit ) nego , cum contrarium non raro ipsa experientia testetur ; hinc quædam Dysenteria est epidemica , quando plures in eodem loco corripiuntur , & moriuntur ; alia privata , cum hic vel ille tantum est Dysentericus.

#### VIII. Pars

## INAUGURALIS.

### V I I I.

Pars affecta in Dysenteria, licet ex aliis partibus, ut cerebro, mesenterio, pancreate, hepate, aliisve partibus affectis demandari possit quipiam ad intestina, quod Dysenteriam concitet; propriè tamen, & primario intestina sunt, sive crassa, sive tenuia, sive conjunctim, sive disjunctim illa sumas: hinc memini me notasse in muliere alvi fluxu interempta, intestinorum tunicas hinc & inde valde tenues & perspicuas, à materia quadam acerrima proculdubio ita corrosas: & tamen aperiri posse orificia vasorum, ut ampliora fiant, & exinde major sanguinis effusio concitetur, ipsa ratio & experientia satis dictant.

### I X.

Fit autem illa apertio vasorum præcipue vitio sanguinis, quantitate aut qualitate peccantis. Quantitate, si nimium intra vasa abundat, unde turgens, & distendens vasa, tam promptè per partes circulari non potest, sed stagnat, & suo pondere ipsa orificia vasorum aperit; hinc in plethoricis frequentes notantur hæmorrhagiæ. Qualitate autem peccat sanguis, si calidior, tenuior, & fluxior est ipse sanguis, unde mirum non est, facilius extra sua conceptacula posse effluere, & hunc affectum producere; præp�mis si simul sit acrior, falsedine aut acore excedens, ex quibus non tantum simplex fit apertio vasorum, sed eorundem erosio, & sic alter modus fit, de quo antea dicebam.

### X.

Illa autem materia acrimoniâ sua erodens vel in ipsis intestinis producitur, vel aliunde ex aliis partibus ad intestina derivatur. In intestinis generatur

## 6 DISPUTATIO MEDICA

vel ex restagnante sanguine in illis , aut fœcibus alvinis , unde ex diuturniori mora subtiliores partes ; magisque spirituofæ ipsius sanguinis , quæ illum antea temperabant , recipiuntur intra venas , aut discutiuntur ramenta sanguinis crassiora , sale fixo abundantia intra intestina , quæ facile temporis tractu substantiæ intestinorum erosionem inferunt ; quæ tandem putrescentibus fibrillis illorum in ulcer transit : hincque ratio petenda , quare non raro præcedente erysipestate aut inflammatione intestinorum , subsequatur Dysenteria . Fœces alvinæ restagnantes etiam hoc malum producunt , dum majorem putredinem & acrimoniam concipiunt . Fructus horarii immaturi , corrupti , aut austeri idem præstant , dum sua vi adstringente cohibent recrementa prava in corpore collecta , quæ si non per convenientia loca excernantur , tandem fiunt acriora , & erodunt intestina ; idem ex Medicamentis acrioribus ; atque venenis assumptis , ut Arsenico , Mercurio præcipitato , Antimoniatis & mercurialibus malè preparatis ; aut largiori usu evenit colocynthidis , Esulæ , &c.

### X I.

A vermis id quoque fieri posse potius assererem , cum non solum ab autoribus sit observatum hos perforasse ipsa intestina ; sed & simul seminium illud , ex quo animalia ista producuntur , putridum & acre esse ; & quid obstabit , ipsos vermes in intestinis interemptos in materiam acrem posse converti .

### X I I.

Inter res naturales potissima causa Dysenteriæ existit temperies partium corporis calidior & humidior , ut & temperies calida & secca , non quidem principalis

## INAUGURALIS.

7

palis, sed adjuvans, & conducens; mediumque est, accedente causâ aliâ, quo humores in corpore facilius putredinem, & acrimoniam recipiunt.

### X I I I.

Inter res præternaturales Dysenteriam plerumque producunt febres ardentes, variolæ, & morbilli, pleuritis, cholera, dolor colicus, inflammatio intestinorum, in quibus morbis Dysenteria symptomatica frequenter notatur.

### X I V.

Inter res nonnaturales (quæ si ritè adhibeantur, causa sunt sanitatis, si male, causæ morborum remotæ) sese offert (1) Aër calidor, humidior, frigidior, aut alio modo corruptus. In regionibus calidioribus frequentes notantur Dysenteriæ, hinc etiam præcedente hyeme frigidiore ac humiliore, & sicciori, notatæ sunt Dysenteriæ Epidemicæ apud autores: & idem tunc evenire videtur nostris corporibus, quod parietibus, in quibus præteritæ hyeme & accedente vere partes salinæ, ac nitrosæ solvuntur, floresque salsi in illis deprehenduntur, sic in vere humores salsi, pituitosi, in hyeme collecti solvuntur, colliquantur, & suâ salsedine intestina corrodunt; hinc Chymici non male causam hujus mali petunt ex sale resoluto: Inter alimenta (2) sunt dulcia, salsa, austera, & omnia illa, quæ facilè in bilem abeunt, aut acria sunt, ut sunt fructus immaturi, uvarum liberior usus, carnes infumatæ, salitæ, mustum, vina dulcia &c. (3) Somnus & vigiliae immoderatae, hæ spiritus, qui humores temperant, dissipant; ille vero pituitam non solam, sed & omnia alia recrumenta (quæ sequestrari debebant foras extra corpus, retinendo

## 8 DISPUTATIO MEDICA

tinendo illa in intestinis ) accumulat in corpore ,  
quæ acriora facta Dysenteriæ causa sunt . (4) motus  
& quies nimia ob easdem rationes : (5) affectus ani-  
mi ut ira , metus , tristitia ; in ista humores facilè ef-  
fervescunt , & bilis acrior ; redditur , in hisce vero au-  
sterum in corpore augetur , Dysenteriæ non minima  
causa .

### X V.

Helmontius in tract. de potest. Medic. §. 29. p. m.  
476. oratorem agit , dum archæum suum irritatum ,  
ac bene furiosum , & à causis occasionalibus lacer-  
sum , propriam profundere crux , & dysenteriam  
facere , contendit : interim miror eundem authorem  
in tractatu , cui titulus pleura furens §. 34. P. 397. ne-  
gare intestina posse exulcerari .

### X V I.

Signa diagnostica quod attinet : et si ex symptoma-  
tibus supervenientibus facile deduci possit , ipsius Dy-  
senteriæ præsentia , ex qua causa autem hoc malum  
productum sit difficilioris est indaginis : in fiente igi-  
tur non tantum dolor ad est immannis intestinorum ,  
sed & frequens excretio humorum mucosorum , &  
sanguinolentorum : in facta vero Dysenteria non  
tantum symptomata hæc sunt graviora , sed & ca-  
runculæ , & ramenta intestinorum secedunt , & ma-  
teria purulenta excernitur . Si est ab inflammatio-  
ne intestinorum adest sitis intensa , febris , ardor , &  
æstus circa loca affecta : si à plethora , habitus athle-  
ticus , vasa sanguine turgida , aliave plethoræ signa  
adsunt : si a tenuitate sanguinis ortum habeat , talis  
sanguis profluit : si sit maligna & contagiosa , præceps  
virium lapsus , deliria , excrementa foetida adsunt , cor-  
pus

## INAUGURALIS.

pus indies extenuatur, multique afficiuntur, & intereunt: si intestina tenuia sunt affecta, dolor percipitur circa regionem umbilici, dolor acutior ob exquisitiorem sensum membranarum, appetitus plerumque prosternitur, nausea, vomitus, & ejusmodi alia adsunt: si vero crassa intestina sunt affecta, dolor magis lumbaris, aut lateralis, aut sub ventriculo persistit, dolor est obtusior, & non raro particulae pingues & carnosæ excernuntur: si a bile acriori, dolor adeat urens; si ab humoribus acidis, dolor est magis lancinans & rodens; ab austeri, dolor est torquens, & signa obstructionis adsunt: si autem ex abuso rerum nonnaturalium productum sit hoc malum, ex relatione ipsius æ gri aut adstantium innescet: si ex aëre corrupto, causa communis adeat, plures laborant, & malum fit Epidemicum.

### X V I I.

Eventus Dysenteriæ pro ratione causarum, symptomatum, & pro ratione ipsius ulceris varius est: Interim malum est curatu difficillimum, cum intestina sint confluxus variorum recrementorum acrum, & putridorum, hinc Dysenteria quæ inflammationi aut erysipelati succedit, & quæ continuo incrementum capit, aut si excorientur & exulcerentur intestina, difficilimè sanatur: ipsa enim intestina semper humida sunt, accendentibus vero recrementis, ciborumque reliquiis continuo adhuc irrigantur, & humectantur, hinc difficilis partium exulceratarum consolidatio, idque ob insignem acrimoniæ ejus, & vim corrosivam, unde frequenter ulcus cancrosum succedit: si vero confirmata jam est Dysenteria, & carunculæ, ramenta, ipsaque intestino-

B

rum

rum substantia excernitur, lethale est. Si tamen protrahatur ipsa Dysenteria, tandem hydropem inducit, facta nempe colliquatione sanguinis in ichores aquosos; in tabem autem terminatur, subducto nutrimento ipsis partibus, unde id quod absumtum est non restauratur; præterea etiam continuò acrior redditur sanguis, ad nutritionem planè ineptus. Quæ ex ulcere intestinorum oritur, Dysenteria vocatur nonnunquam excretio synceri sanguinis, nonnunquam grumosi, cum quo interdum puris quoque nonnihil excerni solet, quemadmodum & ramenta & partes quædam membranis intestinorum consimiles. Urinæ tum suppressiones, tum depravatæ expulsiones. Supprimitur igitur, vel ob vesicæ imbecillitatem excernere non potens, vel ob ostioli ipsius angustiam.

## X V I I I.

Etiam qualis est cœli constitutio & anni tempestas, talis est ferè humorum idea, quorum dominatu corpus tenetur: nam radendo & exasperando intestinis molestia inducitur.

## X I X.

Dysenteria exulceratio est intestini, aliquando totius quidem, aliquando hujus vel illius, cum torminibus ventris & dolore. Et in aliis acris materia, in aliis mucosa egeritur. Nam cum sentiant intestina, & vel naturalem bilem, aut leviter atram statim expellant, descendente materia acri per anfractus & circumvolutiones, & celerius expulsa, fit ulcus. Bile acriore utraque, pituita vero sæpe inherente intestino; putreficit enim, & falsuginem contrahit, sicque exulcerat.

## XX.

In ulcere enim primò videndum, quo usque progressum sit excrementis abrasis ab intestino, interior tunica intestinorum caruosior, exterior magis membranosa, constant fibris circularibus & transversis, additis rectis, ut non sine ratione quibusdam visum est, ad attrahendum, & ad firmamentum aliarum, præcipue in recto: quod, quia magis laborat in egerendo stercore duro pluribus fibris præditum est. Sua ergo intestini carnosa substantia, quæ semel exesa & erosa eò gravius periculum denunciat, quo profundius abraditur. Primum pinguedo quædam mucus appetet. Deinde effloratio quædam ramenta ex superficie, ut in epidermide cutis, postremo substantia corpulenta intestini est veluti caro. Cum qua cruenta dejectio sequitur, interdum ulcerum crustulæ, & puris magna quantitas. Abraduntur enim primò intestina, deinde exeduntur, postremò exulcerantur.

## XXI.

Dejectiones hujusmodi, exhaustam esse omnem nativam humiditatem a Febre, indicant.

## XXII.

Causa proxima Febris, quam etiam continentem appellare licet, est particularum ipsius massæ sanguineæ indebita proportio, atque inordinata commixtio; quæ non raro consistit in nimia sulphuris exaltatione, aut copia, vel hujus recrementa tempore debito non satis separata, per quæ spiritus aliqua materia subtilis motum suum ordinario in particulæ obstantes in petum faciunt, easque simul in motum vehementiorem rapiunt: In talibus liquidis sulphur volatile maxime abundat.

## X X I I .

Signa diagnostica sunt pulsus frequentes, cum virium languore, corporisque laßitudine, quæ per ordinariam quietem non cessat. Pulsus frequens oritur ex eo, quod particulæ sanguinis justo fortius agitatæ cordis ventriculos ingressæ statim ejus fibras vehementer irritent.

## X X I V .

Rubescit urina propter particulas sulphureas exaltatas & salinas ipsis admixtas.

Dolor capitis oritur nunc à sanguine rarefacto, & membranis cerebri nimis abundanter affluente, nunc à partibus acribus, ob volatilitatem caput potentibus & menynge vellicantibus.

## X X V .

A potu generoso, ira, cura, vigiliis, inædia, ab excretione corporis, æstu solari, balnei & similium: item ab excretis & retentis maxime per obstructionem cutis pororum. Ab hisce vero causis debilioribus & solitariis aut paucis concurrentibus oritur febris diaria.

## X X V I .

A fortioribus pluribusve conjunctis synochus simplex, in qua sanguinis dispositio plurimum contribuit.

## X X V I I .

A potu generoso & aromatis assumptis oritur febris quartana: illa constat multis particulis spirituosis seu sulphureis exaltatis & valde ad motum pronis, quæ proinde ulterius particulas sanguinis facile in majorem intestinum motum rapiunt, uti egregie illud docuit D. D. Philippus Verheyen in alma Universitate Lovaniensi Medicinæ Professor.

Si

## XXVIII.

Si tenuior & fluxilior sit sanguis, adeoque serosior,  
est Curatio quæ nimiam fanguinis aquositatem imbi-  
bit & absorbet. V.G.

*Coralli rubri**Cremor Diaphoreticus.**Margaritæ**Pulv. Absorbens. Wed.**Oculi. Cancri.**Sal. eff. Card. Benedicti**Bezoardicum joviale**Martial.**Terra foliata Aluminis**Magisterium Vitrioli dulce, &c.*

## XXIX.

Inter evacuantia, & obstrunctiones simul solventia  
maxime convenient, si pituita viscosa causa sit ob-  
structionis.

*Pilul. Tartareæ. Quercetani.**Eff. Martis Aperitivi.**El. Proprietatis s. acid.**Ext. Rabarbari**Cychor.**Aloes &c.*

## XXX.

In curatione sal. acre mitigandum.

*Eff. Succini. Corallorum ver.**Melissæ. Catechu.**Teriaca Cœlestis**Tinctura Opii**Lap. Hematitis**Diascordium.*

14 DISPUTATIO MEDICA

*Camphor. Laudanum opiatum.  
Ess. Auri. Tinctura Bezoardica. &c.*

X X X I.

Vel pro Pauperibus ad laxandam alvum in Dysenteria.

*Agaricus. Rhabarbarum.  
Aloës Rosat. Myrrha. resin. jalap. &c.*

X X X I I.

In curatione si vasa intestinorum nimis sunt aperta.

*Lap. Hæmatitis. Terra Catechu.*

*Consolid. Tormentill. Sanguis Draconis.*

*Castoreum.*

*Opium. Terra Sigill. &c.*

X X X I I I.

De adstrictione initio cogitandum est. Itaque Medicis resolventia imperantur cum Decoct. Aperitivo, quæ vim habent liberandæ obstructionis.

In adstringentibus, quæ lenius id præstant meliora sunt, deinde ad tortiora progredi licet. Videndumque est, ut adstringentibus partim lenientia misceamus. Sic enim fit, ut nullo periculo materia prohibita ad urinas derivetur.

X X X I V.

Quod ad Clysteres, & ad cætera remedia attinet: videndum ne initio adstringentibus utamur. Adstringentia in initio febrem augent, & inflammationem, nec non vitiosam materiam prohibit ne effluat, ea que prohibita regurgitet in partes superiores.

X X X V.

Hinc gravior febris incenditur, Epilepsiae fiunt & convulsiones, aliaque ejusmodi mala enascuntur. in aliis acris materia, in aliis mucosa egeritur.

In

## XXXVI.

In hujus morbi curatione duobus saepius modis peccatur vulgo : celerius suppressa alvo , & adstringentium usu impacto pure in involucris intestinorum, suppressa intempestive dysenteria , vidi insanum factum. Mulierem quoque , cui in perpetuam vitam ita constricta alvus , ut septimo quoque die tantum excreneret & inde ore & naribus graviter oleret. & multi qui Dysenteria laborantes , haemorrhoidibus suppressis , in insaniam , apoplexiā , nephritidem , pleuritidem , hydropisin , & sanguinis vomitionem inciderint.

## XXXVII.

Hæmorroides sunt in ano. Dysenteria in anfractibus intestinorum : quidquid molestum est in intestinis abradendo & asperendo Dysenteriam facit. ergo Dysenteria est dejectio croris per intestina , sicut hæmorroides ab ano sunt manantes. Ut dysenteriam distinguam ab haemorrhoidibus , in quibus est dejectio croris , sed non per intestina manantis ; quippe quæ sunt in ano.

F I N I S.

C O.



## COROLLARIA.

I.

*In Dysenteria conductit purgatio.*

II.

*Excipitur Dysenteria Epidemica, in qua  
potius alexipharmacum sunt exhibenda.*

III.

*Quando febris adest, conductit. v. s.*

IV.

*Febris essentia consistit in fermentatione  
sanguinis prænaturali.*